



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Dictamina Seu Scita Variæ Doctrinæ, Politicæ, Moralis, Stoicæ, Christianæ, & Spiritualis

Nieremberg, Juan Eusebio

Paderbornæ, 1711

Dictamina Regia Seu Politica.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50306](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50306)



Dictamina Regia

Sen

Politica.

DECAS I.

I.

ONus honoratum est Regia dignitas: æquè onerat ac ornat. Solium non est sedes quietis, sed stadium laboris. Princeps licèt unus sit, negotiari tamen debet salutem plurimorum. Sunt munia maximi laboris, quæ Reges sedendo exercent. Prudentissimè Philippus II. munus Regium idem esse dixit, ac opus textoris. Hic sedet quidem, sed toto corpore laborat, manibus, pedibus, ore. Nulla est potentia Animæ, quam non oporteat occupari in Rege.

2. Ut bene imperes aliis, fac ut Ratio imperet tibi: tum solùm Princeps, si habeas affectus, non habearis. Ignominiosum foret, præesse populo, subesse appetitui. Si passio mundum gubernet, omnia confusio involvet. Quale monstrum cor-

A2

pus

pus absque capite! Tale & Regnum est, ubi ratio non præest, aut æquitas.

3. Prudentia fulcrum est salutis publicæ Melius illam tuetur sagacitas, quàm potestas, industria quàm vires. Prudentia præsupponit cognitionem substantiæ; hinc tota est, uti accidentia eventura prævideat.

4. Munus suum non bene Princeps alteri crediderit. Reperiet facile prudentiores, qui judicent; sed non electos à DEO, ut imperent. Peculiari providentiâ Deus Regibus assistit, uti instrumento operis eximii. Non æquè aliis favores suos impendit, non Archangelum, aut plures Angelos in custodiam mittit. Illis hoc peculiare est, ut dum nequeunt Imperii curam committere aliis, per hos cœlestes Spiritus adjuventur.

5. Non consideret Princeps Status suos uti hæreditatem à Majoribus acceptam neque ut donum fortunæ, aut munus aliorum, sed ut officium à DEO commissum, uti negotium à Cœlo imperatum Reges Persarum non quiescebant ad placitum; quotidie Servus dispellebat somnum

num

est, num dicens: Surgito Rex, sumito curas à DEO tibi commissas. Hoc Excitatoris munus apud Principes Christianos Conscientia subeat, excitétque in labores publici boni. Imperare non est sors, aut felicitas, sed officium Regis.

6. Regnare res est plena periculi. Subiectos occupat labor, refrænant leges, admonent Amici. Rex (ait Socrates) his omnibus caret. Non illos necessitas cogit, potestas à legibus eximit, Majestas monitores excludit, Sola virtus supplere potest hæc omnia.

7. Media inter timorem DEI, & amorem subditorum tutissima degit Principum Majestas, & Corona. DEUM si timeat, amétque subditos, ambitur ab utrisque. Donet DEO cor suum, dabíqtue illi DEUS & suum, & subditorum. Sic cunctis amabilis, & nemo erit ipsi metuendus.

8. Nullo DEUS magis eget ac Principe, neque ullus magis DEO ac Princeps. Prima illius cura sit servire DEO, & ut sui serviant DEO. Non bene imperabit homini, si malè obsequatur DEO. Non poterit bonus Rex esse populi, qui fuerit malus subditus

Coeli. Curet Rex Divina, & DEUS providebit humanis.

9. Fides, & Religio basis est Regnorum. Crescente illâ crescunt & ista, deficiente deficiunt. Fidei debet Princeps obedientiam subditorum; uti Fides debet Principi sustentaculum Mysteriorum. Non habet Fides subjectum illustrius, quàm Regiam Majestatem; neque Rex munimentum robustius, ac Fidei veritatem. Ubi hæc viget, sacra floret Politia: ubi exulat, omnis ratio Statûs evertitur. Non enim rerum ordo immutatur, si Religio statuatur ut medium, Imperium ut finis, quin potiùs vires Imperii medium sunt Religioni firmandæ.

10. Dilatare Fidem inter infideles, ingens accessio est Regiæ dignitatis. Plus eâ fæneratur, quàm armis. His flectuntur rebelles, illâ obtinetur vastissimum Regnum intellectûs, subditurq; voluntas sedentium. Hac ratione subjectio victis accepta redditur, ipsa servitus transit in materiam amoris: dum scilicet se obstringentiunt Providentiæ Divinæ, mediantibus armis transferentis illos à tenebris errorum ad Fidei claritatem.

DECAS. II.

11. Sensatè Pelopidas respondit monentibus, ut cautiùs se tueretur. Aliorum inquit, hoc est, quibus sui cura incumbit; Imperator omnium est, non suus, & aliorum commoda anteponit suis. Persona Regis decoratur Majestate humanâ, ac bonum Regni nescio quid Divinum habet. Æquè enim Philosophorum ac Theologorum doctrina est, bona quantò magis communia, tantò magis esse Divina.

12. Non existimet Princeps, Rempubllicâ magis suam esse, ac ipsû reipublicæ. Totus quantus est, illius servitio mancipatur. Alios otîû docet operari malè; in Principe ipsum non agere, est malè agere.

13. Generositati Principis non officit servare se, ut servet suos; eximere se periculis; ut iis eximantur & sui. Vera fortitudo non est horrere vitam, sed contemnere mortem. Potest, amari vita, licèt mortem contempseris. Nam contemptus illius mali, & amor hujus boni tendere debent in eundem scopum, qui est salus, & utilitas communis.

14. Rex licèt unicus sit, laborat tamen

pro multis, atque indè habet quòd æstimet labores suos. Plurimi agent malè, si ille non operetur bene. Multi agent bene, si ille non operetur malè. Tota Regni machina Cœlorum instar cardine suo vertitur; illorum minimum vitium redundat in terram, hujus in populum. At si bene agat, digito movet universa, penè dixerim, solo desiderio agendi.

15. Voluntas Principis est imago omnipotentia Divinæ. DEUS solâ voluntate operatur, quod vult: Princeps solùm arrendendo omnes trahit in sequelam. Sua suorúmque felicitas erit, si complaceat sibi in bono, si colat virtutem, si amet æquitatem.

16. Ad duo præcipuè advertat Princeps: quòd imperet hominibus, quòd ipse sit homo. A primo affvescet humanitati: à secundo non efferetur in superbiam. Per illud reddetur bonus Pater: per hoc non erit malus Dominus.

17. Licèt Princeps dominetur mortalibus, nihil tamen præter virtutem immortale habet, quæ ubi, ubi sit, semper veris bonis stipatam videris.

18. Re-

18. Regia dignitas æstimari non debet ab indulgentia fortunæ, sed à pretio virtutis, & prudentia consilii. His cardinibus versatur publica res, tametsi non respondeat eventus. Prudentia enim mensurari non debet ab eventu, qui sequitur, sed à consilio unde nascitur.

19. Virtus Principis non sit ficta aut affectata, sed sincera & solida. In munere enim, quo fungitur, ambitioni locus non est, nec dependentiæ ab aliis. Ambitiosi hoc vitio laborant, ut contenti ascititiâ virtute, veluti latrunculi eam despolient, illiusque veste induti velint honorari, ipsâ nudâ relictâ, & quasi captivâ. Nunquam enim illa minùs libera est, & magis serva, quàm quando contempta sustentare debet apparentiam ambitionis.

20. In Principe mensura actionum non sit potestas, sed honestas, & ratio decori. Possit, quod licet, non velit, quod libet. Errat, si existimet se plùs posse, quàm liceat. Voti licentiam sola virtus honestare potest. Minimâ licentiâ utatur, qui potest sumere maximam. Velle omnia, quæ possis, tyranni est, & scelestissimi: velle

As

solam

solum, quod licet, DEI & boni. Si quod affectus suadet; præberet fortuna, brevi Universum ruina involveret. Stabit potestas subinde errando: semper peccando nunquam subsistet.

DECAS III.

21. Honestas virtus est maximè Regia: in illo plùs habet fulgoris, ac in alio quolibet. Cùm enim omnium oculi tendant in actiones illius, necesse est eas alienas esse ab omni eo, quod in plebe vel excusari potest, vel faciliùs condonari. Nôrint Principes ipsam Majestatem sibi damnosam, aliis scandalosam esse, nisi honestate firmetur. Cùm enim non sit, qui potestati resistat, agitur impunè, quod voluntas elegerit, non quod honestas statuerit.

22. Habet & potestas servitutem suam. Regi enim non æquè licet agere, quod cæteris. Aptè Seneca scribens Potenti cuiquam: *Multa tibi non licent, que humillimis, & in angulo jacentibus. Magna servitus est magna fortuna. Non licet tibi quidquam arbitrio tuo facere. Audienda sunt tot hominum millia, tot disponendi Libelli, tantus rerum ex orbe*

orbe toto accurrentium congestus. Mille occupationibus subest, qui imperat.

23. Quæ major gloria in Principe, quàm cum possit, quod ipse vult, patiatur quod alter cupit; clemens ad injurias proprias, justus ad alienas? Parùm quippe est ex alieno liberalem esse, nisi & de proprio addas. Sortis, & Majestatis sublimitas exigunt animum sublimem. Sublimis animus novit ignoscere, sive vit dissimulare, se præbere affabilem, odium reprimere, refrænare appetitum. Et hoc est verum animi robur, cui à temeritate non sit periculum.

24. Animus Principis legitur in Speculo clementiæ. Per eam manifestat se, quis sit, & confirmat esse, quod est. Manifestat se esse Principem, dum mitigat rigorem legis mortuæ, Lex ipse viva. Confirmat esse, quod est, dum animos subditorum conciliat sibi, ipsamque dominationem amabilem reddit. Duobus præcipuè Rex intendat, oportet: delinquentibus, & Reipublicæ. Si delinquens Publico officiat erit clementia respectu hujus in illum rigore uti. Quod si delicti qualitas, aut

delinquentis persona locum præbeant
pœnæ mitigandæ, erit clementia respectu
Principis rigore non uti.

25. Cùm vita subditi descripta sit in
vultu Regis, omnis indè exulet iracundiæ
motus, verissimum temulentiaë simula-
crum. Animus ei semper innubis sit; nulla
peregrina specie aut impressione obfusca-
tus, quem non valeant etiam inopinatissi-
mi eventus conturbare. Nihil inconve-
nientius emendaturo peccantes, ac irasci.
Turpe est culpâ suâ emendare alienas. Er-
rores subditorum non sunt corrigendi à
Principe cum dispendio authoritatis. A-
gant hoc Ministri Justitiæ, quorum mu-
nus est corripere delinquentes.

26. Non habeant Reges, quod in illis
condonetur: ipsi autem condonent quàm
plurima aliis. Tam probrosa illis sunt reo-
rum supplicia, quàm Medicis ægrotanti-
um funera. Seu defectus sit experientiaë
seu casus, neutrum laudabile est. Parùm
differt assiduis belli injuriis premi, ac sub
crudeli Principe mereri. Supplicia adhi-
benda sunt non in sensum dolorémque
nocentium, sed in exemplum aliorum.

Pari

Pari ratione condonandæ sunt poenæ, non quia sic libet, sed ut rei emendentur, clementia Principis incutit bonis peccandi horrorem; neque minor ars est, mansuetudine delicta corrigere, quàm severitate.

27. Poenæ infliguntur, non quia peccatum fuit, sed nè peccetur deinceps. Præterita emendari non possunt, at futura præveniri. Proficit multis, ut vivant bene, si moriatur unus, quia vixerat malè. Injuria est bonis, si indulgeatur perversis. Æger inordinatus facit Medicum severum. Idem crudelitatis genus est, condonare omnibus, ac condonare nulli. Imperare non munus est duntaxat, sed & ars constans habitu proprio. Igitur administrare justitiam ars est, artis opus pax communis, & felicitas omnium.

28. Condemnat se ipsum, qui indulget facinoroso. Punitio delictorum mater est quietis; indè illa Reipublicæ nascitur, indè alitur, & sustentatur. Principis est satagere, nè vitia impunè vigeant. Hoc agget, si sustinuerit authoritatem Judicium, non revocando, facilè, aut immutando,

quod justè statuerint. Hac ratione sceleratos continebit metus supplicii, sed & auditus præcludetur appellandi ad Principem, & statutam pœnam evertendi. Justitia accelerata proxima est injustitiæ, præcipitata crimini.

29. Nunquam Princeps per seipsum supplicia irroget; sed neque, dum irrogantur, præsens sit. Amari illum magis, quàm timeri, ratio utilissima est Reipublicæ conservandæ. Nequit enim amare quispiam, nisi metuat offendi, quem amat; timens autem potest non amare, quem timet. Quin videris plerumque metum odio conjungi, & quos metuimus, odisse. Magis proinde convenit Principem amari ab omnibus, odio haberi à nullo. Plurimum quoque proderit præmiorum distributionem reservare sibi, puniendi rationem committere Ministris: quatenus præmiati colant ipsum uti Benefactorem, condemnati non oderint uti judicem.

30. Auris altera semper servanda est accusato; & expectanda veritas quam solet mora detegere. Pœna dilata adimpleri potest,

ele. potest, semel illata nequit revocari. Con-
& a- nivendum quandoque. Præstat decipi,
nci- quàm diffidere. Gloriosum est Principi
Ju- condonare suis, & quasi ignorare, quod,
iæ, si scisset, dissimulandum non erat.

DECAS IV.

um 31. Damnosius malum est seditio, quàm
ro- bellum. Illud principio sui est medicabile;
gis, dum proficit, mortale: sed & cùm decli-
ou- nat, perniciosum. Ex complicibus casti-
re gandi pauci, sed acerrimè; cæteri clemen-
a- tia obstringendi. Nulli omnino parcere
na- periculosum est. Tantùm perdis, quan-
le- tùm sævieris. Verùm aliud est seditio, a-
& liud querela. Hanc præstat negligere, illi
de tempestivè occurrere.

s, 32. Plus timeat Princeps opera sua, ac
ne hostes alienos. Non vereatur mala susti-
e- nere, sed facere: ex his enim illa nascun-
t- tur. Hæc est differentia Regis & Tyranni.
nt Rex timet subditis, Tyrannus subditos.
ti Ille metuit, nè quid mali eveniat suis, iste
ft nè quid sibi à suis. Status Principis duo-
o- bus conservantur, autoritate & amore;
ri autoritas verò metu, & admiratione.
t, Ipsa gubernandi ratio conciliat stupo-
rem

rem, potentia timorem, virtus amorem.

33. Adſint Regi, qui gubernantem adjuvent, aſt imperare non niſi ſolus debet. Facilis audiat conſulentes, invitus blandientes. Pungunt hi etiam repulſi. & ſi quandoque non nocuerint, nunquam videas profuiſſe. Conſiliis ipſe aſſiſtat: nam mille dolis expoſitus eſt, qui ex ſolo illo iudicat, quod refertur.

34. Qui nimiùm dejectus eſt, cum patitur, nimiùm quoque arrogans eſt, cùm imperat. Nequit alios gubernare, qui non novit alios ſufferre; neque unquam bene præeſt, qui ſuſpicionibus ſubeſt. Tum ſolùm ſecurus eſt de obſequio, quando diffidentia non eſt in ſubdito. At qui ſupervacuâ ſollicitudine metûque agitur, an, & qui, quæ imperavit, adimpleantur, næ ille vel populum ineptè rector eſt, vel ſcopum gubernationis ægre obtenturus; dicendus magis Cuſtos invito- rum, quàm Præſes liberorum.

35. Quem primæ ſtatim Relationes occupant, aut difficultates dejiciunt, ineptus eſt gubernando. Magnanimitate opus eſt, & animo imperterrito, qui neſciat
turbari

turbari illico, aut in quamcunque partem detorqueri. Quidquid allabatur seu boni seu mali, imò illud cujuscunque ponderis, leve videri debet, & commotione suâ indignum.

36. Studiosè advertendum est Principi in differentiam, quæ in distribuendis præmiis, & conferendis munijs intercedit. Præmium respiciat merita, munus habilitatem. Proinde non sunt præmianda servitia officijs, si præmiandū destituat aptitudo: quin imò si duo in idē competunt, quorum alterum merita commendant, fallit idoneitas: alteriabilitas suffragatur, at merita desunt, huic tamen præ illo conferendum erit. Consiliarios illos fideliores censeat, non qui studio placendi ubique applaudunt, sed qui quandoque dissentiant. Amet vera svaderi, non arri-
dentia.

37. Eximiæ Præfecturæ non sunt committendæ plebejis, sed Nobilibus. & ingenuè natis; Multum valet apud omnes, quæ in hominibus est, nascendi felicitas. Securius ab his procuratur Pax, & Justitia Regnorum. Nam qui plurimum debet
sanguī-

sanguini, obstrictum se quoque sentit virtuti; neque tam facilè deest officio suo, & hac & illo stimulante ad gloriam. At tamen munia non excedant fungentium merita, neque uno impetu evehantur ad maxima, quos nondum exercuerunt minima. Evectio immodica invidiæ prostat, neque ullos videas graviore censura vexari, quàm qui unico saltu evaserunt ad summa.

38. In Consiliariis, aut Regiis Ministris præstat ingenium quietum ac maturum, acri & curioso. Præsumptio non felicitat eventus, nec emendat errores, in quos induxit. Tractanti cum litigiosis, & diversa ambientibus nihil æquè opus est ac patientiâ & moderatione; tum ut mitiget labores officii, tum ut imminuat molestias importunitatis. Præcipitare, aut non resolvere, utrumque extremum est. Minùs tamen peccat impatientia, quàm morositas. Adverte magis, quid svadere deceat, quàm quid possit evenire. Eventus enim non cadunt sub industriam humanam, sed prudentia & recta ratio iudicandi. Insistere opinioni suæ pertinacia est,

est, quam perperâ constantiam appellâris.

39. Leges Rationi, Magistratus Legibus aptentur. Ubi munia venalia sunt, nunquâ videris res prosperè geri. Pessimû est ab officiis ali, qui officiis funguntur. Habeant stipendia sua, unde vivant, unde videri possint, quod sunt. Sciant autè erecti authoritatē suam, uti initio Præfecturæ licet minima videtur esse maxima, ita successu temporis, quæ maxima fuerit, apparituram uti minimam; dum scilicet primo ad officium accessu humiles, ipso imperandi usu facti fuerint intolerabiles. Nusquam videbis homines tam insensibiliter turgere, quàm ubi cæperint aliis præesse. Quò submissiùs isti parent, hoc arrogantiùs illi dominantur. Ubi verò in opponentem sese incurrunt, frænum laxant potestati, in obstacula magis ausuræ; sicque sua diffundunt imperia.

40. Forma Regiminis ut apta sit, tribus conditionibus constet, oportet. Sit strictum, sit severum, & constans. Per severitatem non accipe durissimum illud gubernandi genus, quo vel labecula sanguine expiatur: sed serietatem executionis

nis

nis per media rigoris, & lenitatis promovendæ. Per strictum intellige Principis munus, nê, quod ipsius est, divisum sit, aut alteri communicatum imperium. Constantia vult gubernari omnia juxta leges, & veteres mores quocunque accidente non facilè innovandos.

DECAS V.

41. Timenda est Principi adolescentia sua, præsertim ubi fervor exuberat, & experientia deficit. Ætatem illam maturiori credat, ejusque consiliis subdat. Sit licet ingenio felix, non fidat. Quò enim illud acrius est aut facundius, eò faciliùs ut bonorum etiam agrorum inculta, inutili segete luxuriant. Ab aliena manu accipienda est sementis, ut feliciter germinet. Mens vivacior suo seigne consumit. Prudentia non solo usu comparatur, præparanda est studio, & præceptis.

42. Nunquam apud suos eo loco sit Princeps, ut necesse habeant vel tacere veritatem vel amittere gratiam. Amet virtuosos, faciâtque se à virtuosis amari; eòsque liberè versari secum absque periculo virtutis. Actionibus suis securitatem imperet

imperet

imperet probis, veridicis libertatem. Adulatoribus pœnam, perversis timorem. Tametsi malus censeri possit, qui solo commodo suo bonus est, cùm ipsa virtus sui pretium sit, & merces: attamen non omittat Princeps bene agere in exemplū aliorum; ad minùs non appareat malus, nè quis alius se bonum reputet, si malus sit.

43. Instrumentum Iustitiæ Lex est, instrumentum innocentia Regis exemplum. Legibus refrænatur malitia, exemplo virtus procuratur. Lex ut vi suâ polleat, metus faciat: ut respectu, honestas. Perversos rigor adducit, virtuosis satis est ratio Recti. Multùm differt inobedientia à contemptu. Iste respicit Legislatorem, illa Legi opponitur. Qui clàm transgreditur Legem, nihil officit Authori; qui palàm delinquit, sævit & in hunc, & in ipsam legem.

44. Leges multitudine vilescunt, curâ observandi stabiliuntur. Quid proderunt contemptæ, aut ob congeriem oblivioni traditæ? Multitudo reverentiæ obstat, & imminutio Majestatis est sancire non observanda. Ad hæc ingens servitus est,

est,

est vix pedem movere, quin impingas, aut violati edicti reus sis. Momenta omnia ad censoriã virgam referre, onus est intolerabile. Denique ubi multum præcipitur, multum delinquitur. Non cumulo leges valent, sed usu. Servatæ populum coërcent: neglectæ scandalo sunt, aut absque fructu. Si convenit immutari, tempus id statuerit, aut occasio. At nisi intersit Legislatoris, aut Legis ipsius, inconcussæ maneant, tametsi destituantur, fine suo. Legem convenientia servat, Ratio non facit.

45. Leges sinè obsequio, Magistratus sinè honore. Idcirco qui primi transgressi fuerint, exquisitè plectendi sunt, & ad horrorem cæterorum. Qui enim absque exemplo delinquant, minùs excusabiles sunt, & magis nocivi. Ingens præjudicium Reipublicæ foret, iis indulgere, qui adeò præjudicant.

46. Nullæ aliæ leges tam felices sunt, tam venerabiles, quàm quas Rex gestis promulgat. Edictum frustratur sæpissimè, facta religiosissimè observantur. Civilibus, & in bonum Provinciarum latis
Rex

Rex ipse obstringitur; & licet ipsi uti Latori obsequi nequeat, subditur tamen DEO, Legique naturæ, quæ jubet Caput correspondere membris, sibi que statuere, quod justum aliis censuerit. At verò transgressionis reus non est obnoxius pœnæ, nec Rempublicam decet advertere in culpas Moderatoris. Solius id Dei est, Regis scilicet Regum, discussuri Principum causas, & pro tempore eorum errata castigaturi.

47. Non sunt tolerandæ consuetudines, quæ indulgentiâ Principis vim legis obtinuerunt. Facilius abrogâris legem scriptam, quàm consuetudinem inolitam. Illam revocabis folio papyri, hanc nec longissimo tempore. Arduum est detrahere populo, quod annorum usu contraxit.

48. Nihil æquè felicitat Regem, ac probitas vitæ, & amor proborum. Ejus facta forma sunt vivendi. Exemplo consecrat, quod facit. Mores Regni ejus actionibus constant. Quis enim credat ausurum punire, quod igse egerit. Quàm enorme scelus foret, primos aquarum fontes corrumpere, unde potent universi? Quocir-
ca si

ca si se, si suos colat Princeps, hoc imprimis noverit, docere se facere malè, si desinat facere bene. Otium illi est Schola malè agendi, & nisi agat bene, nihil agere censetur.

49. Faciliùs est errare naturam, quàm populum discedere à moribus Principum. Omnis illorum actio aut venerationem pariat, aut timorem. Tametsi enim non subjaceant legi, ipsi tamen Lex viva sunt. Et quemadmodum leges, quas pœnales dicimus, metum omnibus imponunt, eæ verò, quæ gubernationem concernunt, & politicas vocamus, admirationem; ità vita Principum perverfos populi mores condemnare debet; iis verò stuporè incutere, qui eorum actiones observant, uti Regulam suarum.

50. princeps bonus (ait plutarchus) est viva dei imago, id est optimi, potentissimi, sapientissimi. Bonitas efficit, ut nulli non proffit: sapientia, nè deviet: potentia ut exequatur. Ex adverso Principis mali prototypon dæmon est, in id unum laborans, ut noceat omnibus. Eius potentia, si virtus absit, proruit in omne malum;

lum; si bonitas desit, in tyrannidē; si prudentia in ruinam, & interitum.

DECAS VI.

51. Verbum suum ità appretiet princeps, uti creditum Majestatis. Amisisti omnia, si fidem amiseris. Est instar animæ, quæ non solet reverti in corpus, quod deseruerit. Non utatur Religione in imperii augmentum, nec fide data in propriam utilitatem. Indè enim periclitatur Authoritas, & hac pereunte non suppetit dolus aut ars ulla amissam recuperandi.

52. Pollicendum est tardè, pollicitis standum citissimè. Inter spatium utriusque nulla interveniat difficultas: expendenda eà est, antequam spondeas. Quis autè dubitet promissis principē alleviari, subditū felicitari? Ea tamen iis solum præstāda sunt, à quibus speres promoveri tua obsequia, & non frustrari collata munia.

53. His quoque duobus intendat princeps, quomodo credere debeat, & qui faciat sibi credi. primum jubet illum facilem esse in assentiendo assertis, nè scilicet Majestati præjudicet, multùm passuræ, si præsumi possit, esse aliquem, qui velit fal-

B

lere

lere principem. Non eſt pœna, quæ poſſit eluere mendacium Regi factum. Quòd ſi temeritatis hujus eveniret exemplum, caſtigandum foret ſupplicio tam novo, tam exquisito, cujus memoriam nulla ſæcula oblitterarent. Secùs enim principum Aulæ erunt officinæ fraudum, delationum, murmuris, & querelarum, quas ambitio ſolet, invidia, & adulatio progerminare. Alterum exigit aſſerta ejus tam eſſe conjuncta operi, ut practica dici poſſint, unumque ſit principem loqui ac facere.

54. Firmitudo veritatis à nullo valet infringi, aſtutia falſitatis mille ruinis obiecta eſt, nescit quidè regnare, qui nescit diſſimulare; verum minus novit regere, qui plus novit fallere. Diſſimulare propoſita tegere ſecreta, occultare intentiones ſuas prudentiæ eſt, at callidè fingere defectus eſt poteſtatis, nævus authoritatis, & argumentum infirmitatis.

55. Per munificentiam principi accreſcit honor, & utilitas. Non poteſt non illi proficere, quod viderit ſuis prodeſſe. Una hæc domini gloria, una utilitas, dare dando

Dando lucratur animos omnium, obsequia plurimorum. Largitur uni, & devincit omnes spe paris felicitatis. Neque lateat, quod dederit: solent munera nobilitate accipientem. Similes præmiandus sit, aut eruditus aliquis, donatio notoria sit, si pauper cumulandus, occulta. Illic ostentatio valet, quia præmium est: hinc misericordia Secretum poscit. Plus delectetur largiendo, quàm sciendo, quæ fuerit largitus. Timeat potius minùs dedisse merenti, quàm plus immerenti, Non privet munificentiam suam dignos, licet indignus aliquis participarit. Præstat enim malis bene facere propter bonos; quàm bonis detrahere propter malos. Verumtamen non sit effusus in omnes, nec restrictior in aliquos. Meminerit se accepisse, quod tribuit, & obstringere omnes, dum muneratur dignum vel unicum.

56. In munerando considerata sunt merita, & obsequia. Non qui prætendit, sed qui meretur, præmiari debet. Neque enim ambitio meritum est, neque prætensio obsequium. Solebant Theodosius, & Valentinius* rationem meritorum De-

cretis suis inferere, ut constaret jus esse merentibus in præmia, idémque, ea non conferre, ac usurpare jus alienum. Nova videbitur, veridica tamen est verborum explicatio, quibus Magni illi Imperatores ** apertè declarant, non esse Principibus liberum ex libito dispensare honores; sed determinari ex Justitia per obsequia merentium: adeóque illos solùm esse Interpretes, qui jura declarent, aut fideles Ministros, qui quod debent, distribuunt.

57. Ubi muniis Compensantur obsequia, ad duo advertendum est: ut per officium satisfiat merenti, & per merentem satisfiat officio. Illud est debiti, hoc strictissimæ obligationis: nam præmiare pro merito bonum est particulare, satisfacere muneri beneficium commune.

* *L. eúmque 58. C. de Decurionib. ibi.* Habitu consideratione videlicet meritorum, *Com. relatis. 2. de testam. 161.* Aliqua juxta servitium meritum conferantur.

** *L. nemo. C. de Magist. Offic. ibi.* Ut is gradus cæteros antecedit, quem stipendia meliora, vel labor prolixior fecerit antea. *Ubi notandum est verbum illud: fecerit.*

esse non Nova
orum
tores
oibus
; sed
me
nter
es Mi
at.
obse
r offi
nter
strio
e pro
atis
labit
i. Ca
ervit
grad
ia me
nter
it.
8. D

58. Dare dandi causâ, animi liberalis est, & Regii; dare, quia alter meruerit, non quia tibi placuerit, multò illo nobilior est. Rarum est exemplum Darii Persarum Regis, qui inter confinia mortis & vitæ constitutus, non jacturam Regni, non captivos cum conjuge filios, sed id unum tristis ingemuit; non potuisse Polystrato reddere beneficium aquæ, quam sitiienti porrexerat.

59. Non amabilem solùm, sed & honoratum se reddiderit Princeps, si populo faciat confidentiam indulgentiæ suæ. Vitiatio datur Antigono, dum petenti Cynico talentum, respondit, plus esse, quàm quod Cynicus petere deberet. Petenti verò denarium subjecit denuò, minùs esse, quam quod Regem deceret dare. *Turpissima cavillatio!* exclamat Seneca, *invenit quomodo neutrum daret. In denario Regem, in talento Cynicum respexit; cum posset & denarium tanquam Cynico dare, & talentum tanquam Rex.*

60. Non magnum est Regem magna aggredi, & non exequi. Plus ignominia adfert, desistere ab eo, quod cæperis,

quàm gloriæ pariat inchoâsse. Proinde factius fuerit mediis intendere quàm fini, magisque deliberare quàm possis, quàm quid actum velis.

DECAS. VII.

61. Ex Pace germinare solet felicitas Regnorum, & idcirco bello semper anteponenda est imò & gloriæ, quæ incerta est, & fortunæ, quæ infida est. Infixum sit Principis animo tritum illud: *Concordiæ res parva crescunt, discordiâ maxime dilabuntur.* Volvebat hoc assiduò Marcus Agrippa, seque sibi felicem fecit, gratum & proficuum suis. In inferendo bellum Rex omnibus concedat, in conservando Pacem nemini. Ab aliis discordia initium sumat, à se reconciliatio. Amet potius pugnare in vitia, & populum pacificare.

62. Bellum habeat necessitas, pacem voluntas. Non enim est quærenda pax, ut bellum geri possit, sed ferendum bellum, uti medium pacis obtinendæ. De decet Christianum Principem fidem datam alligare fortunæ, ac tum solùm jurato fæderi inhærere, cùm suâ interest. Pax, ut Christiana sit, neque semel rumpenda est.

est, neque unquam violanda. Ut ut bellum gerere quandoque necessum sit, nunquam videas gravissimis incommodis carere. Alitur cædibus hominum, substantiâ Regnorum, exactionibus, & tributis populi. Sistit commercia, militem in licentiam accendit, flammis ac vastationibus replet omnia. Quapropter, quantum fas est; aut omnino evitanda sunt, aut tardissimè auspicanda, ac demum, quia & adversa pars Judex est, multa cum reflexione intimanda.

63. Quid primùm, quid potiùs expediat, morosè deliberandum est. Vis citò bellum finias, diu antè expende. Fallit eventus, qui fortunæ committitur. Qui timet periculum, non peribit in illo. Præstat tuta timere, quàm de incertis præsumere. Successum rerum nihil ità fortunat, ac præcedens consilium.

64. Auro vincuntur & comparantur omnia, ferro & igne vastantur. Præstat emi victorias nummis, quàm sanguine. In id colligunt Principes thesauros suos, non incurfuri avaritiæ notam; sed de providentia commendandi. Aliud enim est

providere, aliud corradere, illud laudabile, hoc ubique vitiosum. Convenit per media licita vires Imperii augmentari, & per generosos ausus provinciarum emolumenta; ast inter principia augendi ærarii prima sit moderatio luxûs; ex hoc enim malo omnia scaturiunt tam indigna Principe, quàm populo infesta. Nihil sic vires auget Regnorum, ac temperantia vivendi: indè innocentissimè fiscus crescit, indè opes non tam accipiendo collegeris, quàm non prodigendo.

65. Potestate optimè utitur, qui moderatè. Uti omni, quâ polles, præsertim in exigendis oneribus, abuti est. Est quidem penes Regem jus imponendi, neque in hoc dependet ab arbitrio populi; verùm hoc invito vim omnem potestatis velle exercere, res est plena periculi. Sinat princeps, ut subditi librent vires suas, advertant necessitates publicas, hásque illis componendo adigantur, non opprimantur. Onus, cui se unus subduxerit, non bene aliis imponitur. Præstat moderatis gravare omnes, quàm immodicis paucos. Mediocria durant, & tametsi necessitas urgeat

urbeat, tutius est res alias colligi, quàm nummos.

66. Hostis & occasio nunquam contemnenda sunt. Neglectus, incuria, & nimia præfidentia scaturigines sunt omnis infortunii. Ignorat conditionem suam, qui quocunque statu sit, se existimat securum. Tantò minùs durum est, in bello vi, quàm dolo vincaris, quantò minùs acerbum destitui viribus, & ingenio superari.

67. Non deponit animum proditoris, qui non deserit media defensionis. Castella in confiniis faciem obvertunt hosti, intrà Regnum minantur Domino. Asserret se Princeps de extraneis, sed & priùs subjiciat sibi suos. Sæpe ut discrimen evitet à vicino, committit se fidei Chiliarchi, qui si indecorum reputet cum hoste de urbe pacisci, non inutile duxerit aut illicitum tradere eam sibi. Cum munimentis & arcibus non est par periculum; ornant Provincias, & tuentur.

68. Temeritas belli exitum reddit anticipem; ast indè adhuc periculum majus, posse evenire malè, & nescire prævertere. Si causa te impellit, fuge illam, quæ

tardaverit: dum latet & non ſe ſe detegit, cave audere aliquid. Plurimas ſibi ſolet ambitio fingere: præterit juſtitiam, aggerit injurias, probat malitiam adverſarii jure vindicandam. Habet hoc domnandi libido, vindictam induit veſte juſti- tiæ; ut videatur juſtè petere, quod ſuperbè ſolet ambire.

69. Univerſam Regni Potentiam in diſcrimen adducere, tametiſi initium fa- veat, nunquam proſperè evenerit; præſertim, ubi certum non eſt magno fæno- re periculum redimi. Confligendum eſt, non quia occasio ſe offert, ſed quia ſic ex- pedit. Æquè generoſum eſt, ſæpè utiliùs, ordinatè recedere, quàm præſervidè præ- liari. In primo conflictu victoria è vulne- ribus naſcitur, in cæteris ex utilitate. Ad- vertere ſolùm ut vincas, fortitudinis eſt: ut viceris, authoritatis. Qui vicerit ſemel, credit ſe denuo victurum, ideo ſemper ambit conſigere: qui autem metuit vin- ci, jam prælio nondum cæpto ſemivictus eſt. Plures exercitus ſtravit præſidentia, quàm hoſtium virtus. Multùm præſtat, ſi ſe defenderit, qui timet ſuperari.

70. Duo

70. Duo sunt, quæ militem in seditio-
nes cogunt: nimia Tribunorum severi-
tas, & immodicus gregariorum labor, nisi
is insueta mercede præmiatur. Hoc exci-
tavit Legiones inferioris Germaniæ Tibe-
rii tempore, invitas aut jugum pati, aut
Tyrannum. Ast sedandi hos tumultus ars
optima, tollere Authores, aut devincire.
Sic composito exercitu audendum est in
hostes, eoque intentis animis reliqua dif-
fluet conjurationis moles.

DECAS VIII.

71. Præter virtutem, ac bene guber-
nandi Voluntatem polleat Princeps noti-
tiâ eventuum, qui in humanis evenire
possunt; imò & sæpius volvat consilia
providentiæ divinæ, cui regnorum mo-
les innititur. Noverit se à Deo magis cu-
rari, ac cæteros. Pari ille zelo fertur in
Vicarios suæ providentiæ, ac Rex in Re-
gnorum.

72. Nihil decantatum magis Divinis li-
teris, quàm Regna ob peccata castigari:
Jam videas ea plecti ob delicta Regum &
Regni, jam Regni in Rege, jam Regis in
Regno, Auferat proinde Rex iniquitates

ſuas, atque unà procuret auferri in populo: nam ex utriſque periclitatur.

73. Diſſimulat aliquando Deus punire peccata, impunitatem vix unquam. Videas Regna turbari, deficere, interire, non quòd plurimi ſint, qui delinquant, ſed quòd rarus plectatur. Plus damni affert impunitas, quàm malitia.

74. Minùs exactè fiunt quæ alienis oculis committuntur. Expedi Regem propriis videre, & quæ aguntur, diſcernere. * *Miserrimum eſt Regnum (inquit ille) ubi Princeps auditur dicere: Proſpice accuratè rebus omnibus, & adverte, ut aptè fiant. Fac quod judicaveris magis expedire. Hæc tuæ curæ commiſſa ſunt.* Non fatiſ eſt, Princeps aliis ſolicitudinem imponat; ipſe quoque laboret, neceſſe eſt; inquiret, inſiſtat faciendis, & de factis rationem exigat.

75. Ruina Regnorum hiſ procurari ſolet: ambitione gubernantium, prodigalitate aut avaritiâ, crudelitate aut nimiâ indulgentiâ, ſeditione, neglectu Divinorum, & Statûs Eccleſiaſtici contemptu. Hi ſunt ſcopuli, quibus impacta ſolvitur Reipublicæ ratiſ.

* *Idea Conſiliarii in præfat.*

76. Ubi dignitates venales sunt, & officia prostant, ille plus offeret, qui appetentior est. Verum ideo plus offeret, ut deinde plus auferat, redempturus pretium emptionis faenore receptionis.

77. Ut virtus in nobiliore eminentior est, ita & lapsus gravior. Sapiens nunquam leviter errat, nec procerus facile corruit, quin se affixerit. Quod remotior est ab imo, eò fortiùs alliditur.

78. Non sufficit fontem limpidum esse, si canalem luto infeceris: Ita satis non est Principem virtute fulgere, nisi & Ministri vitiiis careant. Non Regis duntaxat exemplo populus regitur, sed Ministrorum illi assistentium; à quorum consortio non est immunis Princeps, quin possit infici ac depravari.

79. Dubius semper est bellorum exitus; videris tamen ut plurimum bonam causam in fine triumphare. Bellum malo ex fine susceptum solet & finiri exitu infelici.

80. Ubi bellum movendum est, fugiat Princeps consilia conjugis, quæ nimirum experientia docuit semper improsperè evenire. Penè semper mulierem ambitio

incitat, superbia urget, vindicta impellit. Ottocarum ambitio uxoris ad arma coëgit, per arma in interitum. Parysatis Artaxerxé commisit Memnoni & Cyro minori, utrumque infelici exitu.

DECAS, IX.

81. Oppressione populi transferuntur Regna. Idcirco dicebat Lycurgus, in Republica plus timendos pauperes ac egentes, quam divites & fastuosos. Terrifica sunt consilia, quæ necessitas imponit. Hinc meritò Silius: *Est deforme malum, & sceleri proclivis egestas.*

82. Perspecta sint Principi subjectorum suorum ingenia, quæ pro Regionum diversitate solent quoque esse diversa. Non enim sinè causa Ulpianus statuit, ut mancipia, cùm venderentur, edicerent, unde forent oriunda.

83. Qui oves palabundas versùs Austrum minaverit, reperiet eas lanâ destitui; vinum verò, quod in Septentrionem ducitur, purificari. Politici idem observant in militia. Exercitus, qui in orientem ducitur, roboratur; dum in meridiem abit, infirmari solet.

84. Quæ-

lit. 84. Quædam ingenia sunt instar plan-
oë- tarum; inserta terræ alienæ meliorantur.
Ar- Extranei quoque non semel profuerunt
ni- Reipublicæ gerendæ. Vidit hoc ætas no-
stra.

tur 85. Infelicem dicebat Gordianus Prin-
in cipem, quem veritas latuerit. Ostendat
e- semel placuisse, nemo tacebit: displiceat?
ri- quisque verebitur, & auscultantem frau-
do- dibus involvet. Ità mille mendaciis obru-
na- tus, quid verum sit, ignorabit, & si fors
audierit, non adhibebit fidem.

to- 86. Authoritas Regia firmat Majesta-
am tem, & eximiam reddit. Plus eâ Princeps
sa- in subditos valet ac potestate, armis, aut
ut suppliciis. Verum illa non est opus poten-
nt, tiæ humanæ, sed muneris Divini.

trū 87. Illi autem conciliandæ tria concur-
vi- runt: Virtus, felicitas & propensio ani-
ci- morum; Hanc Deus inditcordibus sub-
in- jectorum: illius nemo Dominus est:
ci- Virtus quoque Deo adjutore indiget.

in- 88. Non pauci Principum, dum sævitiâ
in- procurant authoritatem, amisere. Politi-
ci donum Dei appellant, quod nimirum
æ- affectu magis, quàm vi obtinueris.

89. Res-

89. Respublica illa occalui proxima est, in qua Leges vilescunt, & Magistratus non honoratur. Sublato hujus respectu, & illarum vigore quid superest, nisi dissolutio & interitus.

90. Inhonestas sævitiâ longè damnosior est Principi. Hæc horribilem reddit, illa insuper contemptibilem. Crudelitas horrorem incutit, libido audaciam præbet. Cùm enim libidinosos passim credamus timidos & ignavos, si quis Principem voluptuosum viderit, deposito metu audebit in exemplum.

DECAS X.

91. Egestas solet obnubere vitia, felicitas detegere. Adverte metamorphosim, quam Principis odium aut favor efficit. Vix illum prælibavit aliquis, quàm subito mutatus ab illo est! Nempe magnam fortunam debilis stomachus non digerit, & forsitan facilius est odientem ferre, quam blandientem. Videat proinde Princeps, nè, quem extulerit, efferendo dejiciat.

92. Interest quoque Principis scire, in quo sita sit ejus felicitas. Malè Thales eam adscripsit illi, qui annis maturus in lectulo suo

suo occumbit. Minus erravit Solon, dicendo Regem felicem fore, si Monarchiam democraticè gubernaret. Brevius Anacharsis: si sapiens esset. Acute Pitacus: si subditi timerent non ipsum, sed ipsi, & pro ipso, aut pro eo, quod illum contingit. Socrates verò: si nosset imperare sibi. Neque multum aberravit Henricus IV, Hispanus, asserens, tunc fore Regem felicissimum, si sua Regna felicitaret.

93. Qui omnibus prodigit, brevi mendicabit. Æstimet Princeps servitia suorum, sed non vilipendat remunerationes suas. Gratias conferat cum delectu, misericordiam sine discrimine.

94. Prodromus est non levis calamitatis, cum è Republica tolli videas viros consiliò, justitià, zelo, & arte militari insignes: ita magni Politici prognosticantur, Et verò ruentibus colossis quis credat reliquam ædificii molem perstituram.

95. Magna Imperia plus habent, quod metuatur à magnitudine propria, quam ab hostibus alienis. Rarò intereunt nisi bello civili, aut intestinis diffidiis. Plus periculi imminet à seditione unius Provinciae

ciae

ciæ, quàm ab universa potentia alterius Monarchiæ.

96. Audacter Hesiodus dicebat, non esse fidendum ulli, nè quidem proprio fratri. Mollius forsan ista sumenda sunt. Principi tamen consulendum videtur, nè fidat absque delectu, nec diffidat cum temeritate.

97. Ad ritè capiendum consilium duo vitanda sunt: Ira, & præcipitancia. Illa involvit, ista provolvit. Qui nimium accelerat, festinat pœnitere. Bene Augustus: *Sat citò, si sat bene.*

98. Verissimè pronunciat Ennius, infirmam mentem semper errare. Quid irã debilius? Nam veluti, qui captus est oculis, nequit distinguere atrum ab albo, ità qui irascitur, ignorat quid potius conveniat. Dissipanda est per moras brevis insania.

99. Quos atræ bili natura subjecit, aut lento phlegmati, consiliis ineptiores sunt. Illos videas plerùmque apprehensivos esse, invidos, suspiciosos: istos languidos, sordides, & desidiosos.

100. Censebant Sapiëntum nonnulli Principi plus mali obvenire posse à domo propria, quàm ab hostibus externis. Ità sibi persuasit Antigonus, dum orabat: servaret illum Deus ab hostibus & familiaribus. Rogatus cur non potius peteret servari ab hostibus solis; reposuit: *illum, qui palàm adversatur, cavendo facile evitare possum? ast ab eo, qui latet sub specie amici, quis me nisi Numen præservet?* Non sunt occultiores insidiæ, quàm quas construit Adulator ambitiosus, & invidus.



Dictamina Prudentia.

DECAS I.

Optimus Prudentiæ Magister experientia est: nullam artem minori sumptu addidiceris. Quid facilius, quàm sapere insaniâ? ut aptè rebus utaris, occasio facit. Sapiens eam prospicit, antequam adsit, stultus post tergum respicit ubi transierit.

2. Princeps Prudentiæ ratio est non præsentibus solùm intendere, sed futuris. Oculos Lyncium referunt penetrare mu-

ros,